

specula, et cristalla alia, flammæ excitantia, etiamnum experimentis innumeris attestantur. Sursum ergo flammæ nostræ tendunt, ad Solem, ad astra, ad Empyreum, unde originem duxerunt. Nihil ergo mirum fuerit, si et astra, quia flammæ sint, ad primam eorum originem, ad Empyreum nimirum sese erigant, tametsi nobis, ob distantiam, et sphæricam ostendent faciem, et radiatam. Sed unde nam sidereæ flammæ sunt accensæ? Et in quo ardent? Causæ huius rei sunt iam exponendæ, et ex principiis primis a nobis positis sunt eruendæ, et similitudine nostrarum flammarum deducendæ. Dicimus igitur flammam nostram, confessione omnium fumum esse ardentem. Fumus, autem, non aliud quam vapor est, e materia igni subdita, elicitus. Vapor autem aliud nihil est, quam humor in ea materia imbibitus. Humor autem, aliud itidem nihil est, quam fluor. Fluor autem, quid aliud, quam e quatuor corporum nobis positis principiis, unum? Fluor, hic eam a Conditore proprietatem est sortitus, ut et rarefieri, et densari posset. Rarefieri quidem, non magis, quam ab initio, a lumine, et a calore, et a Conditore est constitutus. Sed ab eo statu, in densitatem, agi magis, atque magis posset. Et a variis densitatibus, in raritatem usque primam suam, posset redire. Quam proprietatem suam, ita per corpora omnia efludit, et in singula diffudit, ut nulla esse possent corpora, quæ ea non essent participia, et non rarefactione, et densatione, fierent, et consisterent, et gignerentur, et corrumperentur, et conservarentur, et etiam perficerentur. Quæ res experimentorum inductionibus, nostrisque demonstrationibus suis quæque locis palam fiet. Hoc igitur posito, ex eo deducimus, sidera vel flammæ esse, vel esse luces, coagulatas, atque insimul compactas. Demonstremus prius, ea posse esse flammæ. Eodem quo prius monitu, e nostris rebus simile sumendo. Atque hoc a principio dicimus, flammam esse ardorem. Ardor autem omnis in fluore est. Et res alia nulla ardet, quam fluor. Nam et fumus ipse, fluor est, et vapor fluor est, et humor fluor est, et sulphura, et bitumina, et olea, et vina, et pinguedines, et pices, et quæcumque alia ardent, fluores sunt. Et si ligna ardent, si stipulæ, si stuppæ ardent, fluor, atque humor, et pinguedo quæ in eis est ardet. Si lapides ardent, si campi, si colles, si montes ardore etiam perpetuo, Ætna, Tenariffe, Hecla cum sociis, tot alii in novo orbe Vulcani, uti suis locis ostendetur, ardent a fluore. Itaque sidera, fluoris illius primævi infiniti, finitæ partes, lumine, et calore itidem primævis, accensa esse et ardere, nihil fuerit, aut absurdum, aut impossibile.

At quomodo, et cur ipsa ardent, reliquis vero, non ardet æther? Quia nimirum, lumen et calor, toto cælo summa tenuitate, nimium diffusa, nimiumque amplificata, et quasi de sua vi effusa, et diluta languent, ita ut ipsum accendere nequeant. Rarior namque remansit, quam ut accendi atque ardere posset. Astra vero, quæ ardent, ætheris partes sunt densiores a Conditore factæ, et ita compactæ, ut ardorem concipere, et flammam edere, et densitate etiam retinere possent. Densiores autem quomodo, et cur sunt factæ? Quoniam oportuit, raritate, luminis, caloris, atque fluoris, in natura posita, poni etiam in eisdem, contrarium alterum densitatem. Densitatem inquam, luminis, caloris, et fluoris. Nihil enim aliud flamma videri possit, quam lumen densius, et lumen non aliud quam flamma rarior. Calor quoque non aliud, quam ignis rarefactus atque diffusus, et ignis non aliud, quam calor densatus. Quibus ergo partibus, primævus ille fluor, a Conditore densior est factus, eæ calore, et lumine concepto, flammæ videntur esse factæ, et astra. Nam fluor, si rarissimus sit, nullam videtur flammam posse concipere. Si vero densius quid fiat, eam concipit et ardet. Cuius rei multa sunt sensata testimonia. Ær equidem si solus sit ær, nullam concipit flammam, quia rarissimus est. Densius quid, ut vapor, ut fumus eam concipit. Dum quidem fumus ardet, et flamma est, ea quæ proxima succo vel fluori est, densior est, rarescit deinde, ardore eam rarescente, arder tamen usque ad summum apicem, a quo deinceps nimium rarefactus fumus, amplius non ardet. A qua illa, quam e putri vino, per distillationem elicitam, aquam vitæ vocant, medium quid inter aquam et ærem est. Dum enim aquæ speciem fert, aperto vasis orificio illico in ærem vertitur. In eam si quis linteolum immergat ignique propinquet, statim flamma corripitur, quæ lambendo humorem depascit universum, sine ulla telæ combustionem. Talia multa circulatores